



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Colus Et Fusus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

De qua ita nos:

*Una manus cubitum ostentat, gerit altera frenum:  
Illa, modum serva hac admonet, os cobibe.*

DE TURBINE PUERILI. CAP. XXI.

**H**abenarum mentio turbinem in memoriam attraxit, quia turbinis concitatio ab habena est. De hoc autem Græci Latiniq; potius quam Ægyptii, quantum investigare potui, meminerunt. Quoniam vero clari admodum viri similitudinem à rhombo, qui turben est, delumpferè, quid in eo lateat hieroglyphicum, exponere visum est operæ pretium.

VEHEMENS MENTIS AGITATIO.

CAP. XXII.

**E**t autem rhombus, ut hinc exordiamur, lignum buxum, vel ex solidiore aliqua arbore torna-<sup>Rhombus qui d. Galli, une pi robe, une trompe.</sup> tum, plana lataque primum basi, cono sensim in angustum abeunte cujus apex clavo armatur ferro. Utisejus in puerilibus ludis cum antiquissimus fuerit, Florentini, apud quos plurimum exercetur, eum vulgo *Palaon* appellant, vocabulo ipso vetustatem indicante. Implicatur is à cuspide prælongo loro, atque ita ludo puerili, quanta vi fieri potest excussus, basi superne cuspide inferne versâ solo alliditur: dum vero ab intorto se loro explicat, in raptissimam concitatur vertiginem, atque ita volubiliter rotatus, spatiis ampliter curvatis hac illac fertur: pueri superstantes flagello illum exagitant, acrique intorta plaga impetam vehementiorem adjiunt: Turben hic à Tibullo, à Marone autem turbo, ut Solipater Charisius observavit, dicitur. Ob eam igitur concitatissimam vertiginem agitationemque, Poëta mentis volubilitatem, quæ nullo possit loco consistere, ratione separari, quod plurimum in furore accidit, expressere. Atque ita Tibullus amatorio furore exagitatus, de se dicit:

*Namq; agor ut per plana citus solet verberè turbo,  
Quem celer assuetæ versat ab arte puer.*

Ludum hunc Maro dilucidius pinxit, ubi correptam furis Amatam Reginam nusquam consistere <sup>En. lib. 7.</sup> postposita lacerenter ostendit, ut versus hi, vel decies repetiti, nullius umquam tædio recitentur:

*Cen quondam torto volitans sub verberè turbo,  
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum  
Intenti ludo exercent: ille aëus habena  
Curvatis fertur spatiis: super inscia turba  
Impubesq; manus mirata volubile buxum  
Dant animos plaga. Non cursu segnior illo  
Per medias urbes agitur, populosq; feroces.*

Quoniam vero inter furoris species quinque à Platone memoratas, amatorius locum obtinet, rhombum Magi allucendis amatoribus aptum veneficiis adhibuere: de quo apud Theocritum, Pharmaceutria.

DE COLU ET FUSO. CAP. XXIII.

**N**eque quidem in mystico hoc scribendi genere contemnendæ sunt colus & fusus, cum ex iis antiquissima quædam referantur significata.

FATUM. CAP. XXIV.

**P**er colum autem & fusum significari fatum, longe manifestius est, quam ulla debeat commentatione ulterius explicari: plena siquidem sunt Poëtarum volumina, fatum ipsum per flumina, per fusum, per colum, per fila ubique significantium. Tres vero Parcas illas hujus negotii arbitras, quæ de causa vetustas finxerit, Platonem latissimè interpretatum a libi diximus. Tres autem illas esse, quarum una colum sustineat altera neat, tertia adactis in fila forficibus modo hæc, modo illa occidet: ita rebus quotquot in mundo sunt, ortum, auctum, interitum esse proprium, ignorare neminem.

<sup>Plato lib. 11  
de Republ.  
Parcarum  
pidura.</sup>